

bus S. Augustinus, in Ps. LXXI. occinit illud Ps. IV. *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem et queritis mendacium?*

CONCIO V.

AMOR IMPURUS PERICULOSA ET PESSIMA FEBRIS.

I. Vehementer animum incendit. — II. Honestatem detrahit, et infamia aspergit. — III. Ad insaniam rapit. — IV. Nihil eo instabilis. — V. Tollit omnem gustum rerum celestium. — VI. Ad interitum amantem trahit, et in foedissima scelera.

THEMA.

Heri hora septima reliquit eum febris. Joan. IV.

Communis quidem morbus, et qui fere sperni solet, febris est: hoc ipso tamen quia spernitur, satis periculosus est, et saepe exitiosus. Vidit hoc in filio suo regulus hodiernus, qui non quaesivit medicum febricitanti filio, nisi quando jam fere desperatus est: ac nisi omnipotentem medicum accessisset, filium febricitantem domi reperisset. Febris animi concupiscentia est, amor veneris, similem in homine ardorem et tremorem membrorum efficiens, qualem febris causat, nec dissimile periculum; interea tamen parum aestimatur, parum evitatur aut curatur a quam plurimis: hoc ipso igitur censendus est magis periculosus, quia non censetur perniciosus. Quibus apponendus est Laurentius Justinianus patriarcha, qui c. II. de continentia ait: *Temporalium amor brevis, amarus et periculosus est: temporalium amor animae mors est.* Hunc igitur ut caveamus eum nunc describamus.

I. Febris hominem inflamat, et quasi igne coquit, unde et sitim causat ardentissimam, obvia quaeque etiam sordidissima haurientem: ita etiam amor impurus, quod imprimis testatur S. Augustinus in Ps. CXXI. *Amor immundus, inquit, inflammat animam et ad terrena concupiscenda et peritura sectanda vocat perituram, et in ima praecipitat, atque in profunda demergit.* Ex hac infami flamma oritur ardor inexplicabilis, ad extrema quaeque amantem impellens, donec fruatur concupitis desideriis. Quod imprimis cernere est in Amnone, Davidis filio, qui adeo deperiit propriam sororem, ut ejus potius gratia macie conficeretur, et languorem incurreret, ac postremo tyrannica vi reluctantem opprimeret, II. Reg. XIII. Cui non absimile est quod refert Valerius Maximus, lib. V. cap. VII. de Antiocho, Seleuci regis filio, qui amore novercae ad ultimam corporis tabem redactus, non convaluit, donec medici in-

dustria e venarum pulsu deprehensa morbi radice, novercae infandis amoribus potitus est. Magis adhuc stupendum, quod legitur in vita B. Vincentii ordin. Praedicat. apud Surium, 3. april. de femina Valentina, quae impuro viri sancti amore aestuabat integro anno, adeo ut tandem, aliter cum non posset ejus colloquio frui, moribundam se simularet, quo vel hac ratione evocato ad se, aperiret morbum animi sui, pelliceretque in nefandum scelus: quod tamen execratus Vincentius, mox Dei vindicta puniit, tradens impudentem feminam diabolo torquentem, donec a viro castissimo, qui in medio ignis non est aestuatus, tandem liberaretur. Tantus igitur tamque impetuus est hic foedus ardor, ut infanda ad sui extinctionem excogitet, ac plane hominem conficiat et comburat, adeoque vere de illo dixerit Job, c. XXXI. § XII. *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans germina,* q. d. omnia obstacula perrumpens, donec ad amatum perveniat. Quis tam saevo incendio se committere non cohorreat? Audimus apud Plautum, in Cistel. CCI. lamentari quemdam in eo incendio verbis illis: *Jactor, crucior, agitor, stimulator, versor in amoris rota, examinor, feror, differor, distrahor.* En quos cruciatus affert impurus et profanus amor! In rotam agit miseros. Denique, Nonnus, lib. XLII. Dionys. dicere non dubitavit: *Non potest extinguere sitim amoris totus fluctus oceani.* Ergo sicut ad incendium domus restinguendum omnia perrumpuntur ostia et repagula, perfringuntur tecta, diruuntur domus, postulatur aqua: ita amoris furor nihil non audet et attentat, ut ardorem suum extinguat. Quod in Josephi domina apparuit, dum tam importunae, tamque impudenter juvenem sollicitavit, Genes. XXXIX.

II. Febris homini speciem et pulchritudinem aufert, pallidum, exsuum, horridum et deformem reddit: et impurus amor honestatem amanti detrahit, infamia aspergit, et impudentia deformat. Quod imprimis videre est in Samsone, qui per amorem mulieris perdidit omne robur ac libertatem, quin et oculos et honorem suum. Unde D. Basilius, orat. V. de jejuniis, ait: *Cum se amor meretricio dedisset, robur omne penitus amisit, oculisque captus, ludibrio erat pueris.* Deinde, in Salomone, qui regia licet dignitate et tanta sapientia praeditus, servituti amasiarum foedissimae se subiecit, ut pro libidine earum, quidquid peterent, concedere et subministrare cogeretur, etiamsi injusta, impia et indecora praeciperent. *Ex luxuria enim* (ait S. Thomas, lib. de regim. princip. lib. III. cap. VIII.) *factus est Salomon abominabilis populo suo in tantum, ut servi*

ejus rebellarent ei. Unde Eccles. XLVII. ei dicitur: *Inclinasti femora tua mulieribus: potestatem habuisti in corpore tuo:* (Graece, in potestatem redactus es corporis tui, q. d. fecisti te mancipium carnis tuae aequae ac mulierum) *dedisti maculam in gloria tua.* Et hoc in senili aetate, cum omnium sententia turpe senilis amor sit. Sed nimirum amor iste, quem corripit, excæcat, ne turpitudinem suam videat: quomodo excæcavit duos illos senes, amore Susannae captos: *Ut non viderent caelum, neque recordarentur iudiciorum justorum,* Daniel. XIII. Unde eorum uni Daniel ait: *Species deceptit te, et concupiscentia subvertit cor tuum,* ita ut nescirent sub qua arbore Susannam vidissent. Designata est hæc talium cæcitas in nefandis illis et impurissimis Sodomitis, qui ob suam bestialem impudicitiam cæcitate percussi sunt ab angelis, ne ostium domus Loth invenire possent. Ita enim cæcantur impuri amantes, ut caeli aditum et viam reperire, quamdiu in suo luto hærent, nequeant: siquidem hic amor mentem plane absorbet, et in brutum convertit. Quare ex eorum cordibus nonnisi crassissimi fumi foedissimarum voluptatum perpetuo exhalant, et rationem obnubilant: quemadmodum e mari mortuo teter ascendit fumus, et aerem obscurat; ita ut iustissima Dei vindicta Sodomitarum terra in foetentem illum lacum conversa sit, quia et ipsorum corda tales lacunae erant. « Quemadmodum exhalationes, inquit Clemens Alexandrinus, lib. II. Strom. quae e terra et lacunis ac voraginibus oriuntur, conflantur in caliginem et nimbosam vertiginem: ita etiam carnalium cupiditatum vapores malam animae inurunt habitudinem, voluptatis spectra animae representantes, et ante eam effundentes. Intelligenti itaque luci tenebras offundunt, attrahente anima vapores, qui oriuntur ex cupiditate et perpetuitate voluptatum, condensante vitiorum vertigines. » Quamobrem foedus hic amor appellatur *ulcus* a D. Ambrosio, *foetor* a D. Bernardo, *cloaca* ab Augustino.

III. Febris in delirium saepe rapit hominem, ita ut ridicula et stulta plane loquatur. Non aliter impurus amor insana excogitat consilia, quibus consequatur finem suum, insana loquitur, insana molitur et agit. Nonne deliravit præ amore Sichem, quando (ut raptam a se Dinam refinere posset) circumcidi se passus est? Gen. XXXIV. Nonne etiam Samson, quando captus amore Dalilæ, toties reposuit caput in ejus sinum, toties ab ea repulsus? Nonne quando manifestæ proditrici aperuit arcanum suum, quo perderet vires suas, et hostibus traderetur? Judic. XVI. Et quid videtur vobis de Galeacio illo Mantuano, qui Papiae hibernans, cum puella, quam unice ama-

bat, in ponte obvia ei dixisset: *Quin tu, bellissime amator, qui tantum tibi armatus in acie places, e ponte in amnem amoris mei gratia desilis?* Concitato repente equo, desiliit in fluvium, unde ipse, equo exanimato, vix natando emersit, Pontan. lib. I. cap. XXV. de fortit. Quanta hæc amentia ad stultam amicæ vocem committere se praesentissimæ vitæ et salutis aeternæ discrimini! Sed quid mirum? Amor enim hominem rapit extra se, et in corde amati constituit, ut jam non ad seipsum, sed ad voluntatem solius dilecti attendat. Rapuit certe et quidem ad insaniam usque Henricum comitem Palatinum, qui cum uxoris Adelheidis consensu habitum monasticum assumpsisset, postea ejusdem amore ad saeculum retractus, in furorem et amentiam incidit, in qua propriam, quam sic adamarat, conjugem, arrepta secure, capite truncavit; inde foras egressus, plausu manuum et cachinno, quod egerat, indicavit, in vita S. Annonis, Surius, 4. decemb.

IV. Febris varia et mutabilis est: nunc a frigore incipit, et in calorem desinit, nunc a calore in frigus: modo tertiana, modo quotidiana fit: nunc citius, nunc serius advenit. Nihil etiam instabilis amore turpi: nunc fervet, nunc languet; mox in odium vertitur. Quod antiqui indicaverunt, cum alatum pinxerunt. Ita enim S. Isidorus Pelusiota, lib. II. epist. CCXXXIV. « Corporum, inquit, amorem ob eam causam pictores cum facibus et pennis depingunt, quia nunc libidinem inflamat, nunc rursus ob saturitatem avolat. » Causam edit S. Gregorius Nazianzenus, orat. de S. Basilio: « Corporum siquidem amores, ait, quia res fluxas sibi proponunt, fluunt quoque ipsi non secus ac veris flores. Nec flamma, consumpta materia, remanet, sed una cum ea extinguitur: nec libido, marcescente fomite, subsistit. » Fundatur enim hic amor vel in forma corporis, vel in largis ignibus et numeribus, vel in amore reciproco, et similibus, quæ cum vento mutantur et evanescent. Ardet quamdiu aetas floret, vel robur viget, vel species vernalis, vel ad summum vita persistit: hujusmodi enim fomite alitur, quo absumpto vel fugiente, fugit ipse pariter. Exemplum hujus inconstantiae videre est in Amnon, qui, ut diximus, deperibat adeo sororem, ut ejus gratia ægrotaret; ubi tamen eam insana violentia compressit: *Exosam habuit odio magno nimis; ita ut majus esset odium quo oderat eam, amore quo ante dilexerat,* II. Regum XIII. Plurima alia exempla passim recensentur, ut quod Seneca in Medea refert. Illa enim Jasonem amasium insano prius amore complexa; postea adeo exosum habuit, ut omnes ejus filios, ipso inspectante, nec im-

pedire valente, occiderit: idem suis amasiis, et inter eos proprio filio rependit Semiramis, et priore sæculo Henricus VIII. Angliæ rex, qui suam Annam Bolenam, quam prius adeo deperibat, ut, repudiata legitima conjuge, per fas et nefas duxerit, postea vero suspectam de alieno amore, capite truncari præcepit, Florim. lib. VI. Cujus rei ulterior ratio est, quia impurus non amat in amata persona nisi suam voluptatem et commodum, personam non amat; unde facili ex causa etiam odio habere incipit, sive quia eam novit sceleris sui complicem, indeque metuit sibi et pudori suo; sive quia a conscientia redarguitur, et quantum in eo scopulo impegerit, seque ipsum læserit, cogitat. Præterea amasiam, quam polluit, reddit vilem atque infamem; unde velut scortum abjectissimum repellit: quomodo poma aurea, postquam expresso succo spoliata sunt, abjiciuntur per fenestram in plateas.

V. Febris gustum vitiat, ita ut dulcia et mellea videantur ipsi amara, eo quod pravo humore infectus sit. Ita profanus amor tollit animæ gustum amoris Dei et rerum divinarum, desipiunt ei conciones, lectiones spirituales, pia colloquia, monita salutaria. Et quid mirum? Amor terræ et amor cæli se mutuo excludunt, nec in una sede morantur Dagon et arca fœderis, et diabolus et Deus. Quod autem impurus amor dæmonem habeat paredrum, ex vita discimus S. Martini: cui aliquando cum sisteretur puella, quam invaserat diabolus, magicis sollicitata artibus unius adolescentis, qui puellæ pudicitiam expugnare conabatur, interrogavit Martinus dæmonem, cur non potius sceleratum amatorem, quam innocentem puellam arripuisset. Cui dæmon: *Quia juvenis habet collegam meum, amoris dæmonem*, quasi non minus dæmoniacus sit, qui profanum amorem, quam qui dæmonem insessorem patiatur. Non dubito mendacem alioquin diabolus viro tam sancto veritatem edicere coactum esse. Jam ubi pia desideria, ubi sanctæ cogitationes, ubi gustus rerum divinarum stare in pectore potest, quod amore carnis occupatum est, quod mephitim libidinis exhalat? Egregie hoc ostendit D. Basilius, in cap. I. Is. § VII. super id: *Regionem vestram coram vobis alieni devorant*, ostendens fieri ab impuro amore: « Fit hoc, inquit, perquam facile circa animam humanam. Vide enim mihi tu juvenem quempiam a puero in splendida bysso intra sedes, educatum, alacriter et studiose ad orationes prodeuntem, nullum transmittentem beneficentiæ officium, æterni illius judicii memorem, jugiter acquiescentem sermoni doctri-

næ: talem denique mihi considera in fornicationem prolapsam. Quonam pacto post abolitionem prioris continentiæ, post desolationem tantorum fructuum, deinceps miserabilem illum e proximo consequitur omnimoda eversio priorum laborum? Isthæc conscientia admissi facinoris non jam eum comitatur, ut se conferat ad orationis locum, quod nequaquam perstitit in officio ordineque fidelium. Excidit enim. Non item intra actus consistit eorum, qui in arcano secessu deflent. Illum enim suppudet. Fit hinc ad orationem cunctatior. His qui causam exquirunt, commentitias nequit excusationes. Respondet se urgeri ab uno aliquo, et ob hoc ante orationem fidelium se subducit, ne deprehendatur ejus simulatio. Deinde sensim, contracta similitudine, illius menti se ingerit meditatio, ut ab arrepto proposito deficiat: denique, ad commodam perditionem per varios errorum anfractus adducitur. »

VI. Febris, si invalescat nimis, præsertim recidiva, tandem conficit hominem, et in sepulcrum ejicit, quod jamjam factura erat filio reguli, nisi Christus intervenisset suo auxilio. Amor etiam carnalis, si fræna ei laxentur, ducet hominem in fœdissimas turpitudinis cloacas, fornicationes, adulteria, incestus et præposturas libidines; quomodo Eva, carnali amore Adamum complexa, prostravit in peccatum, exilium et mortem. Ne enim sola periret, traxit in ruinam etiam maritum. Idem faciunt amasiæ suis amatoribus. Unde B. Petrus Chrysologus, epist. LV. comparat eas viperis, quæ compari suo in congressu caput mordicus amputare ferunt: *Vos viperæ virosæ, inquit, quæ præ impatientis ardore libidinis, Christum, qui caput* (Christianorum et Ecclesiæ) *est, vestris amatoribus detruncatis.* Quod agunt, dum amatum in flagitium trahunt; quod non amare, sed angue pejus odisse est. Ita perdidit Samsonem sua illa Dalila, quam proinde apposite *viperam* appellat S. Ephrem, tract. de judic. et retrib. cum ait: *Concupiscentiæ strenuum atque invictum illum Nazaræum Samsonem captivum sumpsit, qui postquam concupivit cum vipera habitare, illico capilli Nazaræo defluere, oculisque suis privatus, miserabilis atque ridiculus omnibus subito est demonstratus.* Quod si hoc non faciat Dalila et amasia, facit ipsa concupiscentia et impurus amor, qui in Holoferne invalescens erga Juditham, caput ei ademit: uti et Sichem juveni illi, quia illicito amore erga Dinam inflammatus, in gladios fratrum ejus incurrit, vitam: Salomoni mentem, sapientiam, gloriam, opes, regni partem maximam, ipsum denique Deum. Nec desunt recentiora exempla, eaque

fere quotidiana. Nobilis quidam, nomine Wolfenschies a Rozeberg, coegerat in Helvetia uxorem cujusdam agricolæ, Conradi ex Bomgarten, ut vas sibi balnearium præpararet, eoque parato, una secum in lavacro consideret, sed fugit illa, et marito e silva redeunti rem gestam nuntiavit: qui statim cum securi adfuit, et nobilem in ipso balneo trucidavit, et impune quidem. Refert Josias Simlerus, lib. I. de rep. Helvet. Recentius desideramus? « In Austria anno 1591. nobilis quidam impuro, eoque magno et furori proximo, distinebatur amore, ut nullum ejus neque divinis admonitis faceret finem: ita vesano completa igne torrebantur tota præcordia: hac ratione furere desiit, terrore divinitus incusso. Levicula correptus febris cum jaceret noctu lecto affixus, ante se videre visus rhedam flammiferam, subjectumque equum flagrantem igne: tum rhedarius, informe monstrum, tætrumque ab ipso (utar verbo ipse) malo dæmone truculentius, quo nil terribilius mortalium timori est. Quid cessas, inquit? Quin conscendis currum dignum pro meritis tuis? Horruit miser subito pavore defixus: tandem, recepto animo, corripit gladium proximum lecto, vibratque ut subveniatur; interim magna voce domesticos inclamans. Trepidati accurrunt famulidomusque tota sopore discussa: quinetiam exciti vicini nonnulli quærentes clamoris causam, dein prætexentes impositum fuisse aribus oculisque formidini allevandæ. Verum cum fremere adhuc esset in conspectu, nec finiretur metus, insinuaret se potius in pectora aliorum, intempesta licet nocte venitur ad collegium, mittuntur duo, qui aqua lustrali, crucis signo, et in cera consecrata imagine agni timorem tantisper leniunt, dum affirmaret æger dæmonem abscessisse in præsens minaci vultu, sævæque iræ manifestum, detectis deinde peccatis

turpi deinde amore quam tristi animum terrore liberavit, » ita Benciis, in anal. societ. nostræ, Delrio disquisit. mag. lib. VI. cap. II. sect. III. quæst. III.

Quando igitur videmus quam perniciose ac periculosa febris sit amor venereus, superest, auditores, ut contra morbum istum sedulo nos armemus. « Cave species, ait S. Basilius, admonit. ad fil. spirit. per quas plurimos cernis periisse: quæso ne bibas poculum, unde multos percipis interisse: ne percipias cibum quem edi in aliorum perniciem videris: ne incedas iter, quo naufragium perpessi sunt plurimi: devita laqueos, per quos captos cæteros senseris. » Devitavit certe rex gentilis, Abimelech, quando Isaaco quidem abstulit Rebeccam conjugem, existimans esse sororem ejus; non tamen eam attigit, sed amori frænum injecit, donec, liberane an conjugata esset, agnosceret: edoctus nimirum plaga prædecessoris (forte patris) sui, qui ob Saram Abrahæ abstractam multis et gravibus calamitatibus una cum aula sua flagellatus fuit, (Genes. XII.) non est ausus simile adire periculum, sed intactam remisit conjugem suo marito, Genes. XXVI. Cum ergo tam grandia tamque frequentia sint amantium pericula et exitia, quis erit tam audax, impudens et amens, ut se in tam præsens et grave concijiat discrimen? Seneca, epist. LI. « Voluptates, ait, præcipue exturba et invisissimas habe; latronum more, quos philetas Ægyptii vocant. In hoc nos amplectuntur, ut strangulent. » Feruntur alicubi statuæ esse virginum specie, quæ dum capitis reos expansis amplectuntur brachiis, repente iterum clausis comprimunt atque enecant. Hujusmodi sunt voluptates, vult dicere Seneca, talis est impurus amor, amplectitur ut strangulet. Fugite igitur has virgines, fugite hos philetas